



2

3.

4.



688.  
1779, 16.  
DE  
VTILI DOTIS LEGATO  
NON CONTRACTO  
MATRIMONIO

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIET. LITER. DVISBVRC.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XIV. OCTOBR. ccccclxxix.

DISPV TABIT

CHRISTIANVS GOTTLLOB ROTHE

MARIAEMONTAN.

---

LIPSIAE

LITERIS LANGENHEMIORVM HAERED. ET KLAVBERTHIIS.



DE  
ATLI DOTIS LEGATO  
NON CONTRARIO  
MARTINONI  
TRISTIS IOTORVM ORBIVS EXALTA  
TRANSIT  
D. CHRISTIANO HER. BREUING  
PROTESSUS EAVS ORDINI IUR. NAT. ET GEN.  
AT. FODIIT TITUL. DISSELAER  
20610  
IN VPICTIO TURIGICO  
TURICUS  
CHRISTIANUS GELLIOD ROTHE  
MARIAE  
1624  
ILLERIS LANGENHORNIA HANSD. ET MARIAE  
TIT



D E  
LEGATO DOTIS VTI L I N O N  
CONTRACTO MATRIMONIO.

§. I.

 Inter liberalitates, quas moribundi in alios conferre interdum solent in ultimis suis voluntatibus, deprehenditur *legatum dotis*, non confundendum cum *praelegato dotis*. Hoc enim legatum dotem illatam repetendam soluto matrimonio presupponit. Dico: *praesupponit*. Nihil enim interest, an dos vere numerata sit atque vi legati ex hereditate restituenda, an falsa demonstratio interueniat in praelegata dote, modo certa quantitas determinata sit in legato. Sicuti enim in aliis falsa demonstratio legarum non vivitat, ita quantitas titulo dotis, quae illata non est, omnino solvenda. Probat IVSTINIANVS in §. 16. I. de Legat. Scribit: *Sed si quam non accepit dotem, legavit: dini Seuerus et Antoninus rescriperunt, siquidem simpliciter legauerit, inutile est legatum. Si vero*

vero certa pecunia, vel certum corpus, aut instrumenta dotis in relegando demonstrata sunt, valere legatum. Sed cum hoc dotis praelegato nullum nobis est negotium.

§. II.

Nobis sermo est de *legato dotis*. Huius vero primaria quaedam differentia quaerenda in persona testatoris. Potest enim legare dotem vel ipse *pater*, qui ad dotandam filiam obligatus, vel *alius*, in quo sola liberalitas concurrit. Evidem dotis ratio semper eadem est; nam consistit in pecunia ad onera matrimonii ferenda, siue ea pecunia sit *numerata*, siue consistat in rebus *mobilibus*, siue in rebus *immobilibus*, siue in *incorporalibus*, quae omnia teste *PAVLO* in *L. 5. π. de Verb. Sign.* sub pecuniae appellatione continentur. Cum vero dos detur marito ad onera matrimonii ferenda, dos proprie non cogitari poterit, nisi simul ponatur matrimonium. Iam vero non omnis matrimonii mentio in legato facta forsitan inuoluit legatum dotis: potest enim matrimonii mentio fieri tanquam termini solutionis. Concludunt ex exemplo, quod est in *Rescripto ALEXANDRI*. A. quod extat in *L. 5. C. quando dies legat. vel fiduc. cedat*. Ita enim rescripsit Imperator: *Ex his verbis: DO, LEGO AELIAE SEVERINAE FILIAE MEAE ET SECUNDÆ DECEM, QVAE LEGATA ACCIPERE DEBERIT, CVM AD LEGITIMVM STATVM PERVENERIT: non condicō fideicommissō vel legato inserta, sed petitio legati in tempus legitimae aetatis dilata videtur.* Applicatione ergo facta, si testator pater in testamento scripsisset: *DO, LEGO AELIAE FILIAE MEAE CENTVM, QVAE LEGATA ACCIPERE DEBERIT CVM NVPSERIT*, concludi omnino potest, petitionem legati in tempus celebrati matrimonii tantum esse dilatum.

§. III.



5

## §. III.

Aliter vero comparatum est legatum dotis. Cum enim dotes habent mulieres, propter quas nubere possunt, ut est apud PAVLVM in L. 2. π. de Iur. dot, ita dos sine matrimonio cogitari nequit. Consequimur inde, legatum dotis in se continere tacitam conditionem: SI NVPTIAE SEQVANTVR. Pendet ergo legatum dotis, quo usque legataria nondum contraxit matrimonium. Contra, simulac legataria nupsit viro, existit condicio, et existente condicione simul existit legatum, et heres ad soluendum illud, quod dotis nomine relictum erat, pure tenetur. At vero, si legataria non nupsferit, sed vidua persona moriatur, deficit condicio legato tacite adscripta, hinc deficit quoque legatum, neque heres ad praestandum legatum erit obstrictus. In regula ergo maner, quod ex vniuersalibus praeceptis concluditur: nihil videlicet legatum, si dotem legaverit testator, nullae vero nuptiae secutae.

## §. IV.

Quamvis nullum sit dubium quin matrimonio non contracto legatum dotis non existat; tamen certissimum est, dari exceptiones, quae regulam subvertunt. Distinximus legatum dotis a patre relictum et ab extraneo. Plerumque generaliter adserunt, si a patre reicta dos, hanc deberi, etiam si secutae non sunt. In ea opinione versari mihi videtur MENCKENIVS in *Theor. et Praxi Pand. L. XXXIII. Tit. IV. §. 1.* Sed quod argumentum loco probationis adfert, mihi non viderur vniuersale praeceptum ex eo deduci posse. Prouocat enim ad Constitutionem Imperatoris IUSTINIANI in L. 32. C. de inofficio testam. Adscribamus ipsam Constitutionem, quo rectius indicium ferre queamus: *Quoniam in prioribus sanctionibus illud statuimus, ut, si quid minus legitima portione his derelictum sit, qui*

A 3

196

¶

ex antiquis legibus de inofficio testamento actionem mouere poterant, hoc repleatur, nec occasione minoris quantitatis testamentum rescindatur: hoc in praesenti addendum esse censemus, ut, si conditionibus quibusdam vel dilationibus, aut aliqua dispositione moram, vel modum, vel aliud grauamen introducente, eorum iura, qui ad memoratam actionem vocabantur, imminuta esse videatur, ipsa condicio vel dilatio, vel alia dispositio moram, vel qualemque onus introducens, tollatur, et ita res procedat, quasi nihil eorum testamento adiectum esset. Sed ex hac constitutione nunquam probatus essem assertum MENKENII vniuersale. Patet enim lege hac perlecta Imperatorem sanctione sua constituisse, ut liberis relinquatur legitima absque omni onere. Exinde vero non concluderem, si pater filiae dotem reliquerit titulo legati, propterea grauata esse legitimam. Separandae ergo sunt duae species: pater testamento filiam instituit heredem in dote, quae aequalis est portioni legitimae. e. c. Sit legitimae portionis quantitas MD. scriperat pater in testamento: filia mea CAIA heres esto in dote MD. vtique verissimum est, dotis mentionem esse tollendam, quasi non adiectam, et sic non adesse conditionatam institutionem. Si enim dotis mentio conditionatam efficeret institutionem, legitima conditione grauata esset, quae tamen ex c. l. pure relinquenda: hinc concedo, in hac specie filiam accipere relicta in testamento, quamvis non sequatur matrimonium.

### §. V.

At secus est, si pater in testamento filiam heredem scripsérit in legitima, et praeterea legauerit MD. dotem. Quis hac specie applicet argumentum legis Iustinianae. Filia enim saluam suam habet legitimam absque vilo onere reliqtam. In hac ergo specie, cum applicatio constitutionis Iustinianae nulla sit, vtique legatum dotis erit conditionatum, vt, si postea filia in

7

in viduitate permaneat, legatum a cohaeredibus petere nequeat. Non enim peccatum est contra legis dispositionem, quae grauamina atque onera detrahit, *si quid minus legitima portione derelictum sit.* Iam in proposita specie ultra legitimam dos legata est, hinc nihil grauaminis adest, quod detrahi possit.

#### §. VI.

Aliam exceptionem quaerit BOEHMERVS in *Dosfrin. Pandect. L. XXXIII. Tit. IV. §. 3.* in voluntate testatoris atque exemplum adfert, si scilicet pater filiae heredi dotem legauerat, ut cum sororibus iam dotatis exaequaretur. Fac habere patrem tres filias Titiam, Caiam et Luciam. Titia atque Caia iam elocatae singulae M. dotis nomine acceperant a patre. Demum testamento filias heredes scribit in legitima vel maiori etiam quantitate addito hoc: Luciae filiae meae non dum elocatae praeterea do, lego mille dotis nomine, quam levem quantitatatem sorores Titia et Caia dotem intulere matritis suis. Et omnino videretur BOEHMERI sententia vera esse, cum saltem legauerit pater ut dotem in relatione ad elocatarum filiarum dotes, quo aequas partes patrimonii paterni caperent filiae. Habebit ergo Lucia dotem, licet matrimonium non celebrauerit.

#### §. VII.

Tandem videamus, quid de ea specie sentiendum. Fac Semproniam nimio castitatis studio in terris pontificiorum sese obstrinxisse voto castitatis, ut iam illi a coniugio abstinentum. Dabimus, Caium bene gnarum voti Semproniae, in suo testamento legare eidem D. dotem. Quaeri potest, an legatum vtile sit, cum matrimonium ab ea contrahi non possit. Si ex rationibus iuris pontificii decidenda illa quaestio, putarem, non inutile fore legatum, quamvis condicio non adimpleatur.

384


tur. Cum enim ex lege iis, qui se voto castitatis obstrinxere, prohibitum sit matrimonium, condicio, quae in hoc legato dotis comprehenditur, lege impossibilis habenda, et cum impossibles condiciones sive natura, sive *lege*, sive moribus pro non adiectis habeantur, putem, omnino legatum D. Semproniam tanquam purum petere posse. Caeterum forsitan in hac materia de dote legata nostris moribus quicquam videtur inesse duri, cum neque ex decori rationibus patres filias solent habere venales nec virgines honestiores conditionem nubendi se offerendo querere possint, sed iis expectandum sit, donec masculus easdem in matrimonium appetat: carendum iis est, si nemo eas in matrimonium petierit, liberalitati alterius citra culpam. Hinc hodie forsitan adscribenda erit conditionibus casualibus, ut regula applicari possit: *deficiente conditione, deficit legatum.*



Leipzig, Diss., 1779 A17







DE  
VTILI DOTIS LEGATO  
NON CONTRACTO  
MATRIMONIO  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIET. LITER. DVISBURG.  
SOCIO  
IN AUDITORIO IVRIDICO  
DIE XIV. OCTOBR. 1779.  
DISPV TABIT  
**CHRISTIANVS GOTTLLOB ROTHE**  
MARIAEMONTAN.

LIPSIAE  
LITERIS LANGENHEMIORVM HAERED. ET KLAVBERTHIIS.